

# Disputatio theologica de sacramento circumcisionis; quoad ejus nomen, ac pr...

Bång, Petrus,

11 Ae



National Library  
of Sweden

I. N. J.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
SACRAMENTO  
CIRCUMCISIONIS:  
QUOAD EJUS NO-  
MEN, AC PRIMA  
REALIA.

IN REGIA ACAD. ABOËNSI  
*Cum Consensu Reverendæ Facult. Theolog.  
publicè proposita,*

PRÆSIDE  
PETRO Bång D. & Prof. Ord.

RESPONDENTE  
JOHANNE REVONIO  
Wemöens.

*2 Marty.*  
*In Audit. Maximo die 9 Februar. Anno 1678.*

A B O Æ

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.

Plurimum Reverendo atq; Praclarissimo VIRO,  
DN. M. ERICO JUSTANDRO, antehac  
in Regiâ Acad. Aboënsi Poësis Professore celeberrimo,  
nunc Pastori Ecclesiæ Wirmoënsis dignissimo, ut & adjacen-  
tium Præposito attentissimo; Mecœnati ac Promotori  
quovis honoris & obsequii cultu ætatem  
prosequendo.

Perquam Reverendo & Doctissimo VIRO,  
DN. DAVIDI M. SCIURENIO, Pastori in Wehmo  
meritissimo, Fautori ac benefactori ætatem suspiciendo.

UT ET

*Spectatissimis, Prudentiâq; & Integritate conspicuis VIRIS:*

DN. CHRISTOPHORO ENCKE/ Illustris. L. Bar.  
GUSTAVI Rurc; Redituum Inspectori, nec non Redituum Illu-  
striss. Com. JOH. Steenboeck; Arrendatori percircumspecto; Fau-  
tori honoratissimo.

DN. ELIÆ JOHANS ON/ Territorii Wehmoënsis Reditu-  
um Exactori perassiduo, Fautori ac consobrino honorando.

DN. JACOBO FEUDER/ generos. JOH. Taubes prædi-  
orum in Wehmo Conductori accuratissimo.

DN. ERICO E. KEMPE/ Scribæ territoriali perindustrio.

*S* At benefactorum recolunt pergrata suorum

*Certatum variis manera quæq; modis:*

*Hic offert aurum; mensis hos excipit alter*

*Instructus; alii thura merumq; ferunt.*

*At ego quid reddam, Fautores de venerandi,*

*Vobis? Mûnificas arca negavit opes.*

*Annon retribuam fructus, quos crescit agellus?*

*Pôst majora dabo, dum mea fata sinent.*

*Nunc tantum strenâ vice missum hoc fronte serenâ*

*Chartaceum munus suscipite exiguum!*

Humiliter & Officiose offert

JOH. REVONIUS RESPONDENS,

Doctissime DN. REVONI, amice dilecte

Fato est factum quod tempore Circumcisionis Christi, incidisti in argumentum Circumcisionis, quondam Sacramenti, defendendum. Macte ergo virtute! jam disputas de Veteri Sacramento: & dabit Deus brevi ut Nova ipse administres, Vale.

Tuus hac vice

PRÆSES

PETRUS Bång

Doct. & Prof.

Πρὸς νέον ἄνδρα, τῶν τι Μεσοῦν καὶ καλλίστων ἡθῶν  
σπουδαιότατον ἐργατήν.

Ἦγῶ πολλά τῶν ἀκρομάτων εἶναι πολλῶν κρείττω χρημάτων. Τὰ μὲν γὰρ διπλείπει εὐθείας, ταῦτα δὲ πάντα ἀφραμένει χρόνον. Μόνον γὰρ σοφίας κτήμα, ὅπως εὐσχημόνως καὶ ὀρθῶς λέγει πρὸς Δημόκρον ὁ Ἰσοκράτης, τῶν κτημάτων ἀθάνατον, ἧς ἔδεν σμνότερον ἢ βεβαίωτόν ἐστι. Λοιπὰ γὰρ ἅπαντα χρόνον καὶ τὸ γῆρας, ἐπὶ ἡ νόσῳ ἐμάρανε. Κεχαρισμένη δὲ καὶ ἡδεῖα μοί ἐστι ἡ δήλωσις τῆς σπουδῆς σε ἐν τῆς αὐτῆς γραμμασι Διατριβόντες. Καταφρονεῖς τὰ πράγματα ἔπρα, ἃ ἐν τοῖς βλαβεροῖς τῆς νεότητος τρόποις περισσωσ ἀναγνώσκοντα καὶ ἐκμανθάνοντα ἐνοχλεῖ καὶ Διακωλύει. Ἐῖρωσο ἐν τῷ μετὰ εὐδαιμόνως!

Παρετέθη δὲ τῶν μὲν ἀσχολημένων  
Φίλος γησιῶν

ΔΡΒΙΔΟΥ ΠΕΤΡΟΥ  
Δραπετῆς βασιλικῆς.

*Studiorum elegantia & modestia animi Ornatissimo*  
JUVENI,  
DN. JOHANNI REVONIO, amico & Conter-  
raneo perdilecto, de Circumcisione publicè  
disputaturo.

**E**ja! age, candidulis frontem decorata corollis,  
Fundito blandisonos nostra Thalia modos!  
Et varians dulci tremulos testudine cantus,  
Nunc ferias blando pollice fila lyra!  
Amne bibens sacro dulcem Revonius undam,  
Præpete Gorgoneus quam pede rupit equus;  
Jam dubiis contorta plicis quasita decorè  
Solvit, & ingenium excolit arte suum.  
Quin monstrare parat; præcepit qualiter ille,  
Qui residet rutilâ trinus in arce poli;  
Exiguam testâ circum genitalia pellem,  
Radere, lessigenum Ritus ut usq; fuit;  
Fœdera dum durant veteris cœlestia pacti,  
Pacti queis subeunt symbola sacra novi.  
Missa tuo aspiret cœlo fortuna labori,  
A duce qui Christo symbola sumta geris!  
Jannes, sacrarum tractato negotia rerum;  
Bellerophonis ora rigato vadis!  
Tum præco Sacrosancta Dei mysteria pandes  
Semina qua nostra viva salutis olunt;  
Irradiante nigras mortali in corde latebras,  
*Qui vultum sacra hæmine corda fovet.*

Occupatissimus adposuit.

ISAACUS Palman.



(2) Quia Sacramenta vetera naturam sui Testamenti insequabantur. Ergo etiam hoc nomine debebant illa aboleri. Ut enim Testamentum ipsum propter imperfectionem erat temporarium, Hebr. 8: 5. seqq. sic non potuerunt non adjuncta ejus temporaria esse. Caduca itaque ac temporaria fuerunt Sacramenta Vetera; quatenus sui testamenti fuerunt primaria adjuncta. Unde rursus nobile argumentum adversus internam materiam Veterum Sacramentorum actualem ac substantialem: Imperfecta fuerunt sacramenta Vetera, & ni talia fuissent, nunquam essent abolita. Fuerunt vero illa imperfecta, non ratione causa Efficientis; nec ratione causa Formalis; nec ratione causa Finalis: Ergo ratione causa Materialis. Materiam vero externam habebant illa planam & conspicuam: Non fuerunt igitur ejus ratione imperfecta: sed solummodo ratione Materialis internae, quam nullam actualem ac substantialem senserunt, sed ad quam typice tantum duxerunt, quam quoque aliquot suis actibus monstraverunt, cujusque vi ac efficacia suo tempore futura, illa omnem operationem suam obtinuerunt, Rom. 5: 8. seqq.

TH. XXXI *V.ta Affectio V. Sacramentorum fuit eorum Figura aut Typus.* Duplex vero intelligitur Veterum Sacramentorum Figura fuisse. Nam figurarunt non solum Christum Θεόν & πατέρα, in suis passionibus conspicuum; sed & ipsa media emergendi, quæ ille nobis in N. T. propitius reliquit, itidem aliquot actibus adumbrarunt. Signarunt non solum bonorum coelestium acquisitionem, futuram per actus Christi cruentos Eph. 1: 7. sed & nostram in sacramentis, specialem applicationem pulchrè notarunt. Hoc est, signarunt suam acquisitionem fructuum coelestium, ostendendo typis eorum fontem Heb. 9: 22. faceo quod suis hominibus dederunt applicationem per fidem, Levit. 17: 11. Et signarunt itidem nostram acquisitionem, typis eundem fontem monstrando, ac ostendendo ænigmaticè, quæ fieret

nobis in N. T. coelestium bonorum adplicatio singularis.

TH. XXXII. Hæc ut rectius percipiantur, lubet distinctius eadem proponere. Ante dictum est, in Sacramentis Veteribus, variasse eorum actus. *Fuisse eorum actus, alios Sacrificales; alios Sacramentales: Nec ullo modo istos cum hisce fuisse commiscendos; quod differrent utcumque ordine, maxime vero essentia ac fructu.* Præcedebant Sacrificales (ita in Agno Paschali, ubi illi & plures & illustriores conspiciebantur, etsi intimius adhuc se invicem illi distinguebant in Circumcisione) & sequebantur Sacramentales. *Illi natura cruenti: hi incruenti. Illi adqvisitorii typice, hoc est, adqvisitorios Christi actus cruentos, adumbrantes: hi adplicatorii. Illi ad Deum tendentes ad obtinendum: hi à Deo revertentes ad fruendum.* ~~Illi honorum reditorii: hi beneficiorum.~~ *Illi gratiam quærentes; hi eam invenientes. Illi qua fructum communes: hi populo Hebreo qua usum proprii. Illi prorsus fundamentales, qua Rei ac Status necessitatem: hi quoad utrumque Accessorii. Illi absolute necessarij, sub hac formata æconomia restitutionis nostræ: hi non item.* Sic inquam, cum variarent in Sacramentis Veteribus, eorum actus Sacrificales & Sacramentales; non sunt illi inter se confundendî, nec quod de illis asseritur, id statim ad hos est trahendum; aut vice versa, Rom. 5: 10. Eph. 1:

TH. XXXIII. *Inst. Actio sacramentalis conflatur ex utrisque actibus materialiter: E. non sunt illi separandi.* Resp. Distingvendi sunt illi actus, sed non separandi. Et valuerunt posteriores adplicative, propter prærium acquisitionis, quod illis fecerunt priores constitutive. Fuit vero prærium typis antiquis non ex se, & sua natura; sed quod in illos derivarunt adûbrati per ipsos, actus Christi Sacrificales seu meritorii. Cruenta enim sacrificia V. T. cujuscunque essent rationis, præfigurabant unicum & vere propitiatorium Christi Sacrificium, in arâ crucis, non sine sanguinis effusione, oblatum: & valebant per idem tunc

tem-

temporis ordinata salutis media, (Sacramenta vera) quod virtus sacrificii Christi per eadem usurpantibus cunctis applicaretur solenniter, Apoc. 12: 11. 1. Joh. 2: 3. Apoc. 7: 14.

TH. XXXIV. *Dicis: Fiebat quidem applicatio in Agno Paschali, per fidem manducantium: An qua applicatio in Circumcisione, circa fidei productionem? an applicari potuerunt bona cœlestia absque fide, aut que sine fide eorum applicatio?* Resp. Sicut in Agno Paschali fiebat per medium Sacramentale, applicatio bonorum, adquisita instrumentaliter, fide propria: sic in Circumcisione, fiebat eorundem applicatio pædagogice, fide aliena, nimirum fide piorum parentum ac susceptorum, qui circumcidendi s Deo precibus commendabant, ac ut reciperentur, initi fœderis Deum admonebant: quando quoque quoad fidei generationem, infantūque susceptionem, clementer exaudiebantur, quod Deus (ipsa veritas & bonitas) ante recepisset se fore tales susceptorum, ac ut tunc eos susciperet, admoneretur quoque fœdere inito. *Utrouque igitur bonorū Sacrificii Christi applicatio, Apoc. 14: 4. & utrobique eadem per fidem facta: sed in Circumcisione facta illa, fide aliena, qua fidei dationem: & in Agno Paschali, fide propria, qua fidei auctorem, & bona cœlestia alia. Ibi Pædagogice, fide aliena; hic instrumentaliter, fide propria. Ibi rem promovente obligationis æquitate; & hic rem continuante salutiferæ gratiæ bonitate, 1. Pet. 5: 10.* *Dicis iterum; an omnium bonorum spiritualium applicatio ex Christi merito & passione?* Resp. Ita omnino teste scriptura, Luc. 1: 77. Eph. 1: 4. Ac ut idiplum intelligerem⁹ ac cognoscerem⁹, voluit Deus sacramentis, ubi fit insignis bonorum spiritualium applicatio, ætus passionales interserere; memorativos in N. T. 10, & demonstrativos in T. Veteri. Atque hæc causa est, cur Actibus Sacramentalibus olim sacrificiales vel præponebantur, vel adijungebantur: vel utriq; sic proponebantur,

*C*  
*Curand*

ut essent non additi modo, sed & intermixti. nimirū ad ostendendum ideo valere Sacramentales adplicatorios, q̄, a comitibus aut distinguentibus Sacrificialibus meritoriis ac adquirentiis essent imprægnati, conf. Act. 4: 12. Apoc. 8: 3. Heb. 9: 14. seqq.

TH. XXXV. *Quod tamen in utriusque actibus, tam Sacramentalibus, quam Sacrificialibus, fuit olim aliqua futurorum Figura, jam porro est declarandum. Primum, quia Sacrificales actus repræsentarint sacrificium Christi cruentum, non est quod ullo modo dubitemus. Effusionem ergo sanguinis in Circumcisione, notasse effusionem sanguinis, in semine Abrahamæ benedicto, uno ore fatentur orthodoxi. Sicut mactationem Agni Paschalis, veri Agni mactationem adumbrasse, iidem porro statuunt, & expressis verbis asserit ipsa scriptura, 1. Cor. 5: 7. Plana igitur est Veterum Sacramentorum figura, quoad suos actus sacrificiales, & verissime per illos in utroque Sacramento, notatus rubicundus ille in vestibus, qui solus torcular calcavit, Esai. 63: 2.*

TH. XXXVI. *Deinde fuerunt quoque Vetera Sacramenta Figurativa, ratione actuum suorum Sacramentalium. E quorum numero fuit in circumcissione, membro isto circumcidi: Et in Agno Paschali, totum Agnum manducare. Hos Actus Sacramentales nostra nova adumbrasse, recte credi potest, quia scriptura id ipsum monstrat. Ac (1) Baptismum nostrum per Judæorum circumcissionem fuisse monstratum adumbratumque, qua rationem Actus, docet Paulus Col. 2: 10. seqq. quando ait, in Christo estis repleti, qui est caput omnis principatus potestatis, in quo est circumcisi estis, circumcissione non manu facta in expolitione corporis carnis, in circumcissione Christi, consepulti ei in baptismo, &c. Ut quoque Petrus illum typum docet, quando ratione Fructus, adpellat baptismum, stipulationem bonæ conscientiæ, 1. Pet. 3: 21. Nimirum sicut circumcissio suos olim animabat ac ar-*  
ma-

mabat; sic ad trepida quæque nos modernos armat baptismus noster. Adumbravit itaque Circumcisio nostrum baptismum, *ratione actus*, teste Paulo, & *ratione fructus*, teste Petro. (2) Similiter Agnum Paschalem figurasse sacram nostram Cœnam, patet eisdem, si & ipsum subjectum Agnum inspexerimus, & porro attenderimus ad 7<sup>o</sup> comedere, agnum nostrum sacramentalem concernens. Agnum Abrahæ, Gen. 22. & Agnum Mosis, Exod. 12. denotasse Christum, clare docetur, Joh. 1: 29. & I. Joh. 1. conf. Apoc. 5. Manducare igitur veterum, quid aliud ostendit (non hic loquor de efficacia, sed de figura) quam S. Cœnæ manducare nostrum? Nimirum sicut illi manducabant totum agnum corporaliter, atq; sic cum eo, tantum Christum spiritualiter, quoad carnem, quod nondum esset exhibitus; Sic manducamus nos ipsum Christum, & quidem realiter totum, in S. Cœnâ, postquam à temporis plenitudine, & sacramenti institutione, nobis cœpit revera actu esse præsens. Præsentiam igitur ejus olim monstravit typice, integer ille agnus.

TH. XXXVII. *Uno verbo*: Sacramenta vetera fuerunt typi Sacramentorum nostrorum, non solum juxta divinam directionem, sed & juxta ejus institutionem. Ut vero Ejusmodi typi institutionis divinæ, vel concernunt ipsum Christum Pontificem Maximum, vel fratres Ejus, unctos ab eo in Reges & Sacerdotes, uti scribit Lutherus in Præfat. ad Vetus Test. Sic adumbrarunt Veterum Sacramentorum Sacrificialia ipsum Christum, & eorundem Sacramentalia, nos Ejus fratres vel nostras actiones. Atque sic utrobique in Veteribus fuit typus ac figura, quod hic fuit indicandum. *Et tantum de V. T. sacramentis in specie, post quadam generalia, expensis quoad suum Numerum, Convenientiam cum aliis, Discrepantiam ab aliis, nec non quasdam Affectiones.* quasdam inquam, affectiones, & non omnes: nam ut non attinet affectiones omnes, præsertim ex-

teriores, adponere; sic foret ordo earum longus, si singulæ adponerentur. Et sunt quoque quædam earum, quæ commodius alibi adponuntur, sub ipsius rei specialem applicationem: ubi hac ratione potiores visentur, quæ hic putantur omiſſæ aut neglectæ.

## CAP. III.

## DE CIRCUMCISIONE.

**T**HESIS. I. Peractis generalibus, tam iis, quæ omnium temporum Sacramentis communia sunt visa, quam quæ veteribus fuere propria, recta descendimus ad explicandum *Sacramentum Circumcisionis*, quod in V. T. (1) *Præmarium fuit*, propter summam sui necessitatem, ex quo esse cœpit, Gen. 17: 14. Propter summam inquam, sui necessitatem: at non absolutam, uti nonnulli ex illo versiculo concludunt, ac ex taliter formato suo principio, asserunt tenellos judæorum non circumcisos, fuisse æternum damnatos: utrumque contra scripturam, uti mox ostendemus. (2) *Et quod quoque præmarium fuit*, ratione temporis; quatuor quippe seculis instituta fuit Circumcisio ante Agnum Paschalem.

**TH. II.** Considerari vero meretur hujus Circumcisionis *Onomatologia, Pragmatologia & Usus*: vulgaria eadem, & fere communia articulis cunctis, ac proinde nec hic eadem negligenda, cum ad sui evolutionem, eorum hic noster articulus sit capax ac indigus.

## I. ONOMATOLOGIA: ubi

**TH. III.** 1. *Etymologia.* Dicitur Circumcisio à circumcidendo, hoc est, circumsecando: quod (1) ratione facti peragebatur sectio, & (2) quod orbiculari figura duceretur circumcirca. Recte enim illa sectio dicitur circumcisio, quæ dum  
per-

DE CIRCUMCISIONE.

95

peragitur, ducitur ac fertur circum membrum secundum.

TH. IV. II. *Homonimiam quod concernit*, sciendum accipi circumcisionem; *Vel proprie*, ut hoc loco, pro amputatione præputii, mediante qua Deus singulari modo recepit se fore Abrahami, seminisque Ejus Deum, postquam ille cum suis se obligasset ad legem Dei, impigre servandam, Gen. 17:1. *Vel improprie*. Et sic (1) *Metaphorice*, pro regeneratione seu circumcissione spirituali, Rom. 2: 29. Phil. 3: 3. (2) *Synecdochice*, & sic vel pro lege Ceremoniali, Act. 15: 1. quatenus circumcisio fuit non postrema pars legis Ceremonialis: vel pro tota legis observatione, Gal. 5: 2. (3) *Metonymicè*, pro populo Circumciso, vel *Spiritualiter*, quomodo etiam nos Christiani reputamur pro circumcissione, Phil. 3: 3. *Vel Sacramentaliter*, sicut fit, Rom. 15: 8. *Vel Carnaliter*, uti passim in scripturis, conf Matth. 15: 24. Act. 13: 46. Act. 10: 45. Gal. 2: 9.

TH. V. Hinc Observationes Tres: (1) *Circumcisio alia est Corporalis, alia Spiritualis*, vide loca scripturæ, Lev. 16: 41. Deut. 10: 16. Jer. 4: 4. 9: 26. Ezech. 28: 10. 44: 9. &c. In quibus locis istius distinctionis fit expressa mentio. Corporalis fiebat manu corporea, & Spiritualis opera Spiritus Dei, ad diligendum Deum in toto corde, & in tota anima, Deut. 30: 6. *Prior dicta* alias, circumcisio carnis, ex ratione objectiva: item circumcisio literæ, propter præceptum, nec non manifesta, quod oculis esset conspicua, Rom. 2: 28. *Posterior adpellata* circumcisio cordis, ex objecto, Rom. 2: 29. ἀρχαιο-  
τωνία, Col. 2: 11. quod fiebat per S. Sanctum, & non manibus externis. Ut quoque per depositionem corporis peccati, ibidem explicatur; sicut quoque per servitutum Spiritus explicatur, Phil 3: 3 quod eadem serviamus Deo, libero spiritu: id est, diligimus Deum toto corde, & tota anima, uti dixit Moles. *Prior* consistebat in abscissione pelliculæ membri ge-  
nita-

nitalis; *Posterior* in Circumcisione cordis, hoc est, in justificatione & sanctificatione, dicta circumcisio Christi, Col. 2: 11, quod virtute meriti ejus tota perageretur. *Prior solis judæis propria*, utpote V. T. facta quædam affectio, mediante qua Deus fœdus suum confirmabat cum judæis, nec tamen quicquam valebat absque illa altera. sicut scriptum est, non qui in manifesto judæus est, Rom, 2: seqq. Hæc prior circumcisio abrogata est in N. T. *Alteram autem* quæ Cordis & Spiritualis est, durat etiamnum in regno Christi. De hac scriptum est, Deut, 30: 6. circumcideret Dominus Deus cor tuum &c. Ideo Paulus etiam de Christianis dicit: quod sint circumcisi circumcissione Christi, Col. 2: 11. ut quoque de hujusmodi circumcissionis intelligendus est locus propheticus Esa. 52: 1. consurge Sion, &c. Quæ verba de N. T. ecclesia accipienda esse, in quam non ingredietur, nisi qui sit circumcisus, nimirum circumcissione cordis, scribit Baldv. ad Phil. cap. 3: part. 1.

TH. VI. (2) Observatio est hæc: *Circumcisio carnis & cordis non est gemina, sed unius ejusdemque vocabuli in sua significata, distributio.* Illa propria & facta amputatione carnis: hæc Metaphorica, & quæ fit amputatione cordis. Scilicet etsi jam hæc actiones sint distinctæ, & existat posterior, antiquata priore cum natura sui Testamenti: olim tamē illæ arctissimè conjunctæ fuerunt, *objectis, subjectis, effectis & temporibus.* Nam sicut hodie ad quæ objecta legitime accedit baptismus, illa regenerantur, nisi fructum in majoribus impediatur contumax eorum malitia: Et sicut verè regenerantur illa subjecta, quæ aquæ lavacro asperguntur. Sicut denique hodie effectus, spiritualis lotio, adest perpetuus comes lotionis illius corporalis, quæ fit in baptismo; & sicut ille adest eodem tempore, quo fit hoc lavacrum corporale: omnia per unam eandemque actionem, quam unum baptisma nominat Paulus ad Eph. 4: 5.

Sic

Sic olim ibi locorum non ad alia objecta ordinarie, divertit S. Sanctus, quam quæ circumcissioni essent opportuna: Non alios regeneravit quam circumcisos, quos quoque regeneravit; sed mediante amputatione præputii: Et regeneravit illos eodem tempore; imo, eodem temporis ictu, quo carnaliter amputabantur: omnia uti dictum, per unam eandemque cordis amputationem, simul factam cum amputatione carnis. Finge hic saltem *distincta definita circumcissionis carnis & cordis*, & habebis statim distinctas definitiones utriusque definiti: Eritque sic non una circumcisio, sed duplex; non unus baptismus, circumcissionis successor, sed duplex. Atque sic prorsus alius ille, quam qualis est unus ac simplex ille Paulinus, Eph. 4: 5.

TH. VII. (3) Observatio ex hac homonomia fluens, est hæc sequens: *Circumcisio cordis est regeneratio quædam, 1. Pet. 1: 13. nec non subjugatio carnis in obsequium Spiritus: Hæc duo constituit Circumcisio cordis: nimirum dedit novum hominem in justitia & sanctitate, Eph 4: 24. Col. 2: 10. Fuitque eorum prius perfectum, Rom 8: 1. Posterius vero tale, quod identidem ex eo debebat restaurari ac refici. Nam quamquæ quoad renovationem amputabatur peccatû; non tamen amputabatur idem ut non esset, sed ne regnaret in mortali circumcisorum corpore, Rom. 6 12. Concupiscentias namque carnis sentiunt quoque sancti post justificationem, quod D. Paulus suo docet exemplo, eoq; nomine serio ingemiscit, Rom. 7: 24. Ergo obedientia concupiscentiarum tantum amputatur gladio spiritus, qui est verbum Dei, Eph. 6: 17. Et manet in justificationis peccatum, quoad motum: etsi dominium ejus in renovatione, uti dictum, amputetur, conf. 1. Joh. 3. 9. Eccles. 7. 2. nec non Aug. tract. 41 in Joh.*

TH. VIII. His ferè similia habent Calviniani. 1. Dupli-

*cem nobiscum ponunt illi circumcisionem; praputii nimirum ac cordis. II. Utramque more nostro describunt, quoad varia nomina ac sedes. III. Quin & alteram, quod mireris, faciunt alterius correlatum: sed ita omnia sub suo sensu, & sua explicatione Calvinianâ. Lusus in his consistit: (1) Per circumcisionem respectu singulorum Judæorum, intelligunt illi tantum quandam signationem: Et rursus agnoscunt illi ejus quandam obsignationem; sed ita respectu solorum electorum: Nam circumcisionem salutis media cunctis dedisse ac attulisse, religio est eis dicere. (2) Divisionem ergo hanc agnoscunt illi pro divisione integri in sua membra, ubi nos nominis tantum communitatem agnoscimus in sua significata, hoc est, æquivoci in sua æquivocata. (3) Utcunq; itaque more nostro circumcisionem spiritualemente describant, & eam ex iis locis arcessant, ex quibus nos eam elicimus, aut exscribimus: eam tamen restringunt semper pro sua thesi, ad solos Electos. (4) Ut quoque abscissionis pelliculæ non alibi ponunt correlatum, quam in solis Electis, mox positum idē, aut suo tempore futurum. Disputant igitur signum citra rem signatam nihil prodesse; Rom. 2: 28. sed contra, rem citra signum esse utilem, Col. 2: 11. nimirum ut restrictionem suam ad solos electos, callide tueantur: credentes eorum respectu dici circumcisionis mandatum, & adhiberi signum cum promissione spirituali: Respectu vero cæterorum, circumcisionem tantum fuisse nudam ac externam quandam ceremoniam, promissione omni vacuam.*

TH IX. *Nec Calvinianis hic meliores sunt Pontificii, dum aut cum illis respiciunt ad absolutum decretum, aut efficientiam ipsam in spiritualibus suspendent à cooperatione liberi arbitrii, confer quæ de illis dicta sunt supra pag. 71. seqq. ac huc ad alia distinctas eorum classes, certus quod quoad præteritam efficaciam distinguunt suo sensu, à sufficienti, tandem illi hic*  
*vacil-*

*vacillant: & quanto longius discrimen hic fecerint inter easdem, perinde ex quo principio idem arcessant; tanto vacillant illi hic profundius; quod unicuique rem intelligenti, ad fidem ante memoratorum, relinquo videndum ac examinandum.*

TH. X. III. *Synonomiam Circumcisionis quod concernit, sciendum efferi illam variis nominibus: biblicis multis; & aliis Ecclesiasticis. Biblice dicitur Circumcisio (1) Fœdus Dei cum hominibus, Gen. 17: 14. sed fœdus reciprocum, Nimirum sub hoc fœdere servando, sicut Deus promisit suam gratiam: sic Israelitæ vicissim Deo repromiserunt suam obedientiam. (2) Dicitur Circumcisio biblice ceremonia fœderalis, vel fœdus circumcisionis, Act. 7: 8 Nam per eam Deus populum suum recipiebat in fœdus; illum dico populum, cum quo circumciso postea loquebatur per verbum, & in quo erat vera ecclesia ac Dei domiciliū. (3) Dicitur illa signaculum justitiæ fidei, Rom. 4: 11. Fuit fœdus illud antiquum reciprocum, & proficuum Israelitis, sed sub observatione legis, quoad statum & obligationem: hac vero conditione intermissa aut non præstita, Circumcisio eis nihil profuit. Siquidem gratia fœderalis locum non habuit, ubi nondum justitiæ Dei fuit satisfactum. Quod quia homini fuit impossibile; idcirco fides in Christum requirebatur, qui nostri loco satisfecit; fiebatque sic Circumcisio quæ obedientiam per se signare debebat, justitiæ fidei signaculum; ut quoque Abrahamum adultum ac credentem vere illa obsignavit. Ecclesiastica vocabula quid attinet multa recensere? Dicebatur illa (1) *Eximium & præclarum Ecclesiæ privilegium*: Nimirum olim & in suo populo. Olim inquam, & antequam fieret concisio, Phil. 3: 2. item in suo populo, descendente per Saram, ab Abrahamo: ut sic fere excludantur Arabes, tam&si & illi fuerint ab Abrahamo oriundi, & intelligantur soli Israelitæ, descendentes per Saram uxorem ejus*

primariam. In his inquam, & suo tempore, fuit circumcisio quædam ordinatio & sacramentum à Deo institutum, per quod recipiebantur homines in fœdus Dei, & ex quo agnoscebatur verus Dei populus; felix tanto privilegio, sed sub restipulatione obedientiæ legalis, sub isto statu legali, Gal. 5:2. (2) Dicebatur illa ecclesiastice, ritus; quod nomen ei factum est statim ab ejus exordio, dum vulgabatur inter gentes: forsan per servos emptitios, quos Abraham in sua familia aluit plures. Quicquid sit de vulgatione: non tantum multi gentiles eam opere ipso exprimebant in suis corporibus; sed & ipsam ritum nominabant, unde Herodotus, qui vixit circa tempora Alexandri Magni, respiciens ad tot ejus seculorum fluxum, nominat eam ritum perantiquum lib. 2.

## II. PRAGMATOLOGIA.

TH. XI. Hæc Pragmatologia præsumit generalia illa, quæ capite primo, sunt inculcata, & capite proxime antecedente, paucis breviter repetita, circa Veterum Sacramentorum Convenientiam ac Discrepantiam in Ratione cum Domestica, tum Externa, quæ vide ibid. à thes. 6. ad Thes. 18. *Cum primis tamen expendit hæc Pragmatologia suæ Entitatis Descriptionem, Causas ac Affectiones.* Quæ singula nunc amabili brevitate persequemur.

TH. XII. *Definitio Circumcisionis esto hæc: Circumcisio est Sacramentum V. Testamenti prius, quo Deus ordinarie per Ecclesiæ Ministrum, homini masculo Ecclesiæ judaica inferendo, præputii cruenta resectione, futuram sanguinis Messie in adsumpta carne, effusionem præfigurante, fidem & gratiam fœderalem conferebat, nec non obsignabat, ad divinæ bonitatis & sapientiæ gloriam, item ipsius circumcisi salutem æternam.* Ita D. D. Kõningius in Theol. Politiva Th 750.

TH. XIII. Ex cujuslibet rei definitione, si commoda fuerit,

fuerit, excerpuntur ejus genuina requisita. Ex hac igitur Circumcisionis definitione, quã ut commodam venditamus luci publicæ, excerpimus sequentia axiomata aut confessoria. (1) Si circumcisio olim fuit sacramentum, fuit illa etiam olim sacra actio, quod omne Sacramentum actione absolvatur, conf. supr. pag. 8. (2) Si fuit illa sacra actio, fuit etiam illa divinitus instituta, atq; ita singulari mandato hominibus suis imperata. (3) Ordinata etiam magna promissionis spe, ad animarum æternam salutem obtinendam. Fuit igitur illa olim organon ordinarium, quo Deus uti voluit, ad offerenda, exhibenda & obsequanda gratiæ beneficia, confer de his nostra superiora: Ut & alios consule, qui circumcisionem *ὀλικῶς* sumptam, dicunt constetisse *signo, mandato & promissione*.

TH. XIV. Sed forsã operæ precium fuerit, singula distinctius memorare, ut quid in quolibet argumento sit tenendum, rectius audiamus. *Hac nostra adposita descriptio, dividitur in Genus & Differentiam*.

TH. XV. *Genus Proximum est Sacramentum*: nam sicut omne Sacramentum constat verbo & elemento, docente Augustino: sic fuit Circumcisio Sacramentum, quia gaudebat utroq; tali requisito. Habuit illa suum externum elementum, præputium amputandum, & habuit quoq; illa verbum tam promissionis spiritualis, quam institutionis divinæ: ipsa igitur fuit verum Sacramentum. *Genus Remotius est actio sacra*, quod sicut singula Sacramenta scribantur actiones, quod actione aliqua absolvantur: sic quoq; Actio genere remotiori nominatur Circumcisio, quod eadem, dum floruit, absolveretur, vide de hisce ejus institutionem, Gen. 17.

TH. XVI. *Differentia Specifica desumitur ex Causis & Affectionibus*, de quibus nunc aliquid memorare, ordinis ratione monemur.

TH. XVII. *Causa Efficiens & Principalis Circumcisionis, fuit solus Deus; Ratione & Institutionis, Gen. 17: 1. seqq. & Operationis, Jacob. 1, Deut. 30: 6. Sangvinolentam enim præputii amputationem Deus ipse instituit, & per eandem juxta suum verbum factam, ipse quoq; olim filios Abraham susceptos de Sara, veluti modo ordinario, recepit in fœdus gratiæ. Nullius enim vel angeli, vel hominis est condere Sacramenta, gratiæ sigilla: quemadmodum nec Angeli, nec hominis est, verbum gratiæ proponere. Deus igitur qui olim verbum Evangelii proposuit, is quoq; olim Sacramenta instituit: ut sic maneat firmum, Deum Circumcisionem instituisse, ac per eam, Efficienter salutaria sui populi præstitisse. Quin & hoc certum fuit quod Circumcisionem Deus ipse efficienter primum promulgavit, vide Gen. 17. Atq; sic fuit Deus Circumcisionis Causa Principalis, non tantum ratione Institutionis, & Operationis interna; sed & ratione prima Promulgationis, quod hic fuit addendum.*

TH. XVIII. *Inst. 1. Circumcisio est à Patribus, Job. 7: 22. 2. Abraham est Pater Circumcisionis, Rom. 4: 12. E. ille est ejus causa Efficiens principalis. 3. Est illa administrata secundum ritum Moysi, Act. 15: 1. & ad (1) Non sic debent illa verba accipi, ac si circumcisio esset quædam *ἡ ἀρχὴ τῆς ἀποστολῆς*, præter vel contra Dei mandatum introducta; sed quod à Deo fuerit instituta; ac postea Dei mandato à Patribus usurpata. & ad (2) Abraham est Pater Circumcisionis non active, sed passive; quatenus primus fuit, cui hoc Sacramentum concedebatur: quin & Pater ejus est ille alio sensu active; sed tum sumitur Circumcisio, non pro ipso actu Sacramentali; verum Metonymice pro populo Circumciso, cujus Abraham erat fons ac Pater. & ad (3) Circumcisio non erat à Mose, sed longe ante ipsum, ab ejus patribus usurpata: quatenus tamen ille inter-*

intermissum in deserto Circumcisionis morem urisit ac docuit repetendum; eatenus potuit circumcisio repetita seculis sequentibus, dici facta secundum ejus ritum, h. e. secundum ejus mandatum. Deinde sicut ille minis divinis edoctus de Circumcisionis necessitate, nè opprimeretur, circumcisionem propagavit in suum filium, Exod. 4: sic temporibus sequentibus facta circumcisio ad avertendum metum mortis, recte dicitur secundum ritum Mosis instituta, conf. Act: 1: 21.

TH. XIX. *Causa Circumcisionis Efficiens & Ministerialis, dividitur in Ordinariam & Extraordinariam.* De Circumcisionis Administro, vel ministro præputium secante, non legitur aliqua expressa lex divina: Credibile igitur ad eam administrandam, varios olim advolasse, prout casus subiti trepidive exigebant. Credibile sic fecisse sexus utriusq; personas, tam circumcidendorum causa, nè tanto privilegio diutius illi privarentur; quam sui causa, nè diutius differendo, morte mulctarentur. Credibile hac occasione Zephoram Mosis conjugem, circumcisionem filii præoccupasse, aut sollicitam vicem filii; aut metu turbatam, quum audiret imminere mortem marito, ob neglectam circumcisionem filii: & ita in re trepida. Credibile rursus post peregrinationem in deserto, annorum 40, non modo receptam Circumcisionem jussu Josvæ, sed & eandem per ipsum Josuam administratam in subjectis non paucis: & ita tanquam in re subita Josv. 5. *Ad subitos itaq; trepidosq; casus, credimus administrationem Circumcisionis olim fuisse ambulatoriam, & susceptam eandem jam à viris, jam à foeminis, prout deficientibus ordinariis, hunc aut illum, hanc aut illam, metus quicumq; magis versabat: Atq; hinc forsitan cognati & vicini adesse debebant, Luc, 1: 58. seq. non modo testimo-*  
nii cau

ni causa, presente ordinario: sed ut rem expedirent communi consilio, si solertior aut dignior non adveniret: Sic inquam, in momentis extraordinariis. Alias ex quo erectum fuit sacerdotium Leviticum, nequaquam dubitare debemus ex eodem acceptos, qui ordinariè Circumcisionem administrarent, sicut ante idem conditum, apud Patriarchas Administrari Circumcisionis fuerunt familiarum capita, conf. Gen 17: 74. & 21: 4. h. e. Sicut varia loca ostendunt capita familiarum Sacramentum Circumcisionis administrasse, ante institutum Sacerdotium Leviticum: sic ei instituto una cum aliis Ministerii Ecclesiastici partibus, qua ordinariam administrationem, id probabiliter creditur cessasse.

TH. XX. Hanc Circumcisionem peragebant ministrantes *sua manu*, juxta loca Eph. 2: 11. Col. 2: 11. *Instrumentum autem quo utebantur, fuit culter vel Lapidus vel Ferreus*, vide Exod. 4: 25. Josv. 5: 23. Phrasis scriptoræ dicit *Petram*, Exod. 4. & *cultrum petrarum*, Josv. 5. Fateor ferreum posse ubique explicari, tum voce hebræa illum sensum accipiente; tum quod Metonymia etiam sub illo lateat, nimirum ferreus quidem fuit, sed cote aut petra factus acutus. Credibile tamen sicut primitus sub sui exordium, & postea in pace Palestina, Circumcisio administrabatur cultro ferreo, vide Justin. Dial. cum Thryphone; sic postea in deserto deficientibus cultris ferreis, est illa administrata lapideis, conf. Theodor. in Jesum Nave Quæst. 4. prorsus sicut in Hispana Insula scribunt incolas carentes ferro, pro eodem uti peracuta core.

TH. XXI. *Sed cur quæso Judæi. I. Cultro usi sunt ferreo?* Nimirum ad duritiem cordis ipsorum innuendam, sicut hoc ipsum eis exprobat Justinus, quando ait: *primum vestra Circumcisio dia σιδηρον (per ferrum) facta est, & etiamnum huiusmodi; Quia apud populum cervicis ferrea, opus est ferro.* II. *Cur*